



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiæ,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De bello sacro Grimoaldi Ducis contra Thuringos. Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

possit. Fuit namque probatissimæ vitæ, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriæ, decus Curiæ, via Ducum, & disciplina Regum. Quod de Pipino elogium cum ante annos quingentos Stephanus Abbas Leodiensis insereret historiæ S. Modoaldi, pulcram subiunxit exclamationem : *Audiant ergo nunc Duces, serenissimi Ducis Pipini tot præclaras post finem eius laudes, & intelligent Reges aequitatem eius, & prudentiam, & fortitudinem, ac temperantiam. Erudiantur huius exemplo potentes qui iudicant terram.*

*De bello sacro GRIMOALDI Ducis
contra Thuringos.*

C A P. V I I.

ANNO 10C. XXXXVII. Pipinus maior dominus moritur. Grimoaldus filius eius in Brabantia aula Sigeberti potenter principatur.

Ideoque eum pro honore & officio ducatus adfuisse existimo, quando Sigebertus Rex cum Radulpho Thuringorum Duce concurrit.

Verum cum postea nullis bellis premetur, pietati vacare voluit. Atque eò pertinet, quod Sigebertus Rex in suo testamento scribit, sancta ac venerabilia monasteria, Stabulaus, siue Malmudarium cognominata, vbi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Ab-

*Apud Nod-
gerum in vi-
ta Remaclii.*

A s bas

bas Christo auspice præesse videtur, vir illu-
stris Grimoaldus maior domus suo opere in
vausta eremo Ardennensi construxit.

Rex quoque de prole desperans, Grimoal-
di filium Hildebertum adoptauit; sed mox
illi nascitur filius Dagobertus.

De sacra militia A N S E G I S I D u c i s .

C A P. V I I I .

III. Brabā-
tie Dux An-
segisus cum
S. Begga.
Cap. 6. Vita
S. Modoaldi
12. Māj.

GRIMOALDO Dux & maior domus
successit Ansegisus. de quo ante annos
abhinc quingentos scripsit Stephanus Ab-
bas Leodiensis. Sciendum est istum Ansegis-
sum fuisse filium B. Arnulphi, ex maiore do-
mus Metensis Episcopi. Huic Ansegiso ve-
nerabilis Begga felici iuncta matrimonio, ge-
nerofæ sobolis, & nobilissimorum Regum
mater existit. Cuius quoque sanctitatis pia
apud nos clarent monumenta, eo in loco, in
quo ex diuina reuelatione septem construxit
ecclesias, vbi & corpus eius à sacris virgi-
num choris honoratur, quæ Deo ibidem fa-
mulantur. Ibi quoque coniunx piissimus
Ansegisus ab ea conditus est, qui ab alumno
suo, quem idem Dux puerum fortè inuen-
tum, & è sacro fonte suscepit aluit in fi-
lium, & exaltauit, crudeliter in venatione
peremtus est.

Ad huius sacram militiam pertinere ne-
quaquam (ne quis hīc fallatur) potest, quod
Ioannes de Castilione Archidiaconus Cam-
paniæ